

DE INSTITVENDA VITA,  
 & moribus corrigendis iuuetutis,  
 Parænesis, à Christophoro Hegen  
 dorphino primùm quidē in priua-  
 torum discipulorum gratiam cōpa-  
 rata: deinde verò & in vsum alio-  
 rū bonę indolis iuuenū conscriptę.



PARISIIS  
 EX OFFICINA ROBERTI STEPHANI.  
 M. D. XXIIX.

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100



1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100

CHRISTOPHORVS HEGENDORPHINVS,  
CVM PRIMIS ET NOBILI ET STV-  
DIOSO IUVENI MATTHIAE DE  
DREVITSCH S. D.

M VLTIS iam annis Matthia gene-  
rosissime, expertus sum, quàm labo-  
riosum, quàm molestum sit iuuetutis  
mores recte fingere, iuuentutem ad  
quantulamcunque tãdem eruditio-  
nis frugem perducere. Cãterum non, vnquam an-  
te hac mihi perinde res ista laboribus iuxtã mole-  
stijs plena visa est, atque hoc tempore, quo præter  
quàm quòd iuuenes literas bonas perosi sunt, etiã  
moribus impurissimis, pariter & intractabilissimis  
prãditi existunt. Etenim quando vnquam iuuen-  
tus magis lusit in aleam, quando scortationibus, stu-  
pris, adulterijs, omnibus libidinum generibus fuit  
addictior: quando patrimonij profusior: quando fa-  
mã, rei omnium pretiosissimã, magis prodiga:  
quãdo temporis rei irrecuperabilis minus curiosa  
extitit: Breuiter, quando in præceptores præfrã-  
ctior, contumeliosior, ingratiior vnquam, quando  
in Deum magis impia, magis blasphema in CHRIS-  
TVM vnquam fuit: At mihi mecum reputanti,  
& animo voluenti, quid nam isto seculo iuuentu-  
tem nostram corrumpat, perdat, hæc in mentem  
veniunt. Primo, omnium parentum indulgentia,  
qua, vt ille inquit, omnes deteriores red dimur: pu-  
det me dicere, quã parentes hoc tempore liberis

## P R A E F A T I O

fuis imprudenter permittant facere. Ludere volūt filij, ſumptum eis parentes ſuggerūt. Si filium cum ſcortis omnia perdere, profundere, certo reſciſcant parentes, diſſimulant, conuiuent, & tantum nō ve- luti Melitenſem caniculam in delicijs habent, ſtu- dijs iuvene dignis occupari, clamitant. Vbi totos dies perpotauit filiulus, domum reuerſus, ne verbu- lo quidem à parentibus obiurgatur. Execratur hor- rendis diris, tum ſuum ipſus, tum aliorum caput: adplauditur ei, tam à patre quàm matre. totum diem otio inſumit charū illud caput: id parentibus minus curę eſt, quàm ſi fulgur, vt in prouerbio eſt, ex pelui reddatur. Si in Deum Opt. Max. patrem, probra iecerit charus filius, ad hoc parētes piſcibus magis muti exiſtunt. Si **C H R I S T I** paſſionem cōul- tijs inceſſat Pamphilus noſter, parentes perinde ac in Iouem illum Ethnicorū Deum blaſphemus fuiſ- ſet, ne verbulo quidem cum illo commutant. Quid hic commemorem? de veſtibus Sybariticis, quibus parentes filios ſuos (nam de filiabus dicere nihil ad me) non ſecus ac puppas exornant. Et in huius rei luxu filijs ad improbitatem & libidinē, materiam & ignem non paruam ſubdunt. Iam cum vix tan- dem à bonis viris perſuaſi parentes, filium in Aca- demiam quandam præceptoribus ad humanita- tem informandum committunt, multis obteſtatio- nibus cum præceptoribus verbotenus agunt, ne fi- lium omne quod ſibi cunq; libitum eſt, facere con- cedant: & ſi minus morigerus futurus ſit, verberis eum cedant, inhortātur. At cum præceptor in-

tractabilem illum Elephantem cicurandum ad se recepit, & aliquādo verberibus in eum animaduertit, atque id parentes olfecerunt, mox aut ipsi adfunt, aut per suos ministros cū praeceptoribus agitur, se non mancipium eis domandum concredidisse, sed vnicum rerum omniū suarum hæredē: proinde si illū discipulū habere velit, à verberibus abstineat. Id quod cum improbus ille Ctesiphon audit, hui quantum animum ad nulla non audenda sibi sumit. Itaque ergo indies deterior euadit, dum in totum perditus, deploratior domū redeat quàm abiuerit. Atque, vt iam dixi, illa parentū indulgētia, vnus est fons, ex quo hoc seculo corruptela & intractabilitas iuuentutis nostræ manāt. Deinde, non parum iuuenes hoc tempore à quibusdā praeceptoribus adeò peruicaces, adeò contumaces, adeò effrenes redduntur. Sunt enim in Academijs plerique, qui dum praeceptorem aliquē pro suo officio, in discipulos nonnihil duros esse odorentur, illi discipulos adeuntes, Ecquid, clamitāt, te tuo praeceptorī adeò obiurgādum, adeò verberandū, propinas? Ad me demigra, apud me omnia cum dicendi, tum faciendi licentia erit, modo mihi pecuniam numeres, dabitur tibi à me mutuo argentū, vt huc vel illuc comessatum eas. Tum nō raro ad aures iuuenum occidunt illud Terentij, Liberalitate & pudore liberos retinere satius est quàm metu. Cur igitur, dicunt isti, in tanto metu viuere vis? Discipuli, vt omnes mala obuijs, quod aiunt, manibus arripimus, oblata sibi ad nequitiam tāta & tam ostentata

## P R A E F A T I O

ta occasione, quo iure, quāq; iniuria relicto suo vete-  
 re præceptore, ad illū nouū morum corruptorē  
 se conferūt. Iste sanè pestes rerum publicarum effi-  
 ciūt, quòd hodie bona pars illorum iuuenum qui in  
 Academijs ad cōparandum ingenij & morum cul-  
 tū mittūtur, adeò præcipites in quoduis flagitiorū  
 genus ruant. Illos sanè impostores dicam, an corru-  
 ptores iuuenū publicis Academijs legibus mul-  
 statū oportuit. Leges imperatorij poenā statuerūt  
 ijs, qui seruum alicuius corrumpunt. Merito igitur  
 & poena adficiēdi ij, qui adolescentes auocantes ad  
 se pertractos misere deprauāt. Nam quòd homines  
 impudentissimi clamitant, Liberalitate & pudore  
 satius esse pueros retinere quàm metu: verum qui-  
 dem fateor. verum nebulones illi, non considerāt,  
 nō eodem ingenio adolescentes quoslibet præditos  
 existere: proinde nec eadē ratione omnes tolli pos-  
 se. Sunt qui suapte sponte, quæ optima sunt, faciāt:  
 in quos si quis verberibus animaduertere vellet, nō  
 minus stulte ageret atque auriga, qui equos citra  
 calcaria vltro præcurrentes, calcaribus ad cursum  
 incitare velit. Sunt qui suapte quidem sponte cessa-  
 tores sunt egregij: cæterum si à præceptoribus ver-  
 bis admoneantur, pudore suffusi, quoquo volumus  
 statim se inclinant, & hos verbis magis corrigēdos,  
 quàm verberibus ad honestatis studia impellēdos  
 existimo. Sunt verò iuuenes adeò frontis perfrictę,  
 vt nec pudore natiuo, nec à præceptoribus obiur-  
 gati, id quod suarum partiū est, præstēt. Sunt adeò  
 duri, vt nullis verbis moliri queāt: quos si quis libe-

ralitate & pudore in officio continere velit, nihil plus agat, quàm si agazo alinum ad clitellas ferendas, extimulare conetur. In hoc ergo adolescentum genus, virgis animaduertendum est, & faciendum periculum, an metu tandem coacti, officium suum facere velint. quòd si actum esse videbitur: rus, vt inquit Fabius, ablegandi sunt. Iam satis opinor liquet, quàm toto, quod aiunt, coelo isti iuuenum corruptores errent, qui adolescentes quoslibet ex senis illius Terentiani sententia instituentos esse contendunt. Iam satis opinor constat, & istam impostorum turbam, non parùm in causa esse, quòd iuuentus hoc nostro seculo, adeò intolerabilis, adeò effrenata existat. Postremo, illud vel multo maxime iuuentutem nostram tam intractabilem, tam immorigeram reddit, quòd præceptores eam, vel nūquam, vel admodum raro ex literis sacris: quæ vnæ mores cū omnium hominū, tum maxime iuuenum fingunt: quæ aut Deo cordi, aut odio sint, quæ Deus à nobis postulet, quæ in proximū collocanda charitatis sint officia, admonent. Proinde, iuuetus nostra cæca, omnia sibi licere putās, in omne vitiorū genus transuorsum agitur. At verò, cū hoc vltimū, vel multo maximū sit, ob quod iuuenes hoc nostro seculo, tā efferi sint: ego cū discipulos nō parū multos instituēdos, & habuerim & habeam: officij mei esse duxi, meis in primis, deinde verò & alijs bonæ mētis iuuenib⁹, vt paruas, ita vtilis & viuēdi & mores corrigēdi, paræneses perscribere: an vel aliquos tandē in officio continere possim: & an quosdā, qui

## P R A E F A T I O

ab officio suo discesserint, in viâ reducere queam. Tradidi verò, vt & id indicem, præcepta & pietatis & ciuilitatis. Pietatis quidem, dum quid iuuentus Deo debeat, quæ Deo arrideant, quæ Deo displiceant, ostendo. Pietatis inquam præcepta trado, dum quæ iuuenis, vitia fugere, & pietati aduersa sint scelera, quæ in proximum impêdenda sint charitatis studia, & pietati cum primis amica sint officia, commonstro. Ciuilitatis verò paræneses obiter aspersi, in quibus quæ cura sit corporis suscipienda, quid inter prandendum, quid inter coenandum iuuenem deceat, doceo: dum quid in alijs rerum functionibus dextre obeûdis iuueni cõueniat præscribo. Enimvero, cum tu mi Matthia, is iuuenis sis, qui & vitæ integritate, & morû cãdore facile alijs ad rectè viuendum, & mores formãdos, viuum exêplum esse possis: & cû adeò luculenter, quæ in hoc libello præcipiuntur amplectaris, quæ vetantur fugias: nõ male congruiturum ratus sum, si hoc quicquid est libelli de moribus iuuetutis corrigêdis cõscripti, sub tui nominis auspicio in publicum emitterem. Quod si forsitan libellus ille humilior videbitur, quàm qui tibi iuueni adeò & stêmatis & virtutibus claro dedicetur: cogitabis, amantes non tã munera, quàm animum illius qui largitur, spectare solere. At cum tu nõ minus amore mei flagres, atque ego tui flagro, hoc munusculû re ipsa quidem paruum, at si animum cõsideres, maximum boni æquique haud dubie feceris. Vale. Lipsiæ. Anno M. D. XXIX.



DE INSTITVENDA VITA, ET CORRI-  
GENDIS MORIBVS IYVENTVTIS, PA-  
RAENESES.

Vuenis in Academiam præceptor  
alicui creditus, omnes neruos intē-  
I dat, vt duo illa assequatur. Vnum,  
vt in eloquentiæ studio promoue-  
at. At cum eloquentiam dico, non  
inanem illum verborum strepitum, non ambitio-  
sum orationis fastum intelligo, sed totam Encyclo-  
pædiam, id est, orbem illum artium optimarum cō-  
prehendo. Ita sanè, vt iuuenis illa, quæ in quavis  
arte columnæ, & præcipua sunt, imbibat. Qua de  
re in præsentia à me nihil dicitur: tum quòd Fa-  
bius Quintilianus, Erasmus ille Roterodamus, hæc  
iustis voluminibus tractarunt: à quibus aliquid de  
cōparandis studijs iuuetutis scribere, est Iliada post  
Homerum contexere. tū quòd nostri instituti est  
ostendere, quibusnam moribus iuuentus perpolita  
esse debeat, & mores iuuenum admodum hoc præ-  
sertim seculo prauos & corruptos in melius insti-  
tuere. Et illud alterum est quod discipulus apud  
præceptorem discat, nimirum vt moribus proba-  
tior quàm aduolauit, domū ad suos reuolet. Quæ  
duo Achillem à Phœnice optimi præceptoris opti-  
mo exemplo, non parum foeliciter edoctum fuisse,  
Homerus libro Iliados 1 x testatur, dum Phœnicē  
ita ad Achillem verba facere introducit,

I V V E N T . I N S T I T .

τοῦνεκα μὲ προίημι διδασκόμεναι τὰ δὲ πάντα  
 μὴδὼντι ἐντῆς ἕμιναι πρηνκτῆς ἀτε ἔργων.

Quos versus ego sic utcunque verto,

Huic me præmisit te cuncta ut illa docerem,

Cum bene dicendi, vitæ quoque noscere normam.

Et illa sanè morum cura vel præcipua esse debet. Quid enim obsecro refert? iuuenem quamuis omni disciplinarum genere excultū existere, si parū Christianus, parū Ciuilibus moribus sit præditus: Cū enim iuuenis vel hoc vno nomine præceptorī ad bonas literas informāndus detur, ut aut ali quādo Remp. optimis moribus constituere, consilijs regere, prudentia conferuare possit: aut si hoc non cōtingat (ut non est cuius homini datum adire Corinthum) alia quadā ratione proximi commodis consulere queat: Meræ pestes Reip. erunt iuuenes, qui, ut vt in omni doctrinarū genere excellent, vita omnibus flagitijs inquinatissima existūt: qua non dici potest, quā illis, quibus præsent, officiāt, cū, ut Plato inquit, tales ferè sunt subditi, quales ij, qui Reipub. clauo admoti existāt. Neq; verò hic necesse est referre Antonios, Syllas, Marios, Catilinas, qui literis quidem omnibus sese exornarāt: sed quia moribus nō perinde probatis erāt præditi, remp. Ro. non parū vulnerarūt, Ciuiū moribus non parum obfuerunt. Quòd si, nō Ciuiles Magistratus gerere cōtingat: non potest tamē nō nocere is, qui literas non cū morum integritate cōiunxerit. Quid enim magni Ludī Magister, quāuis literis ornatissimus, apud suos effecerit, si vita sit spur-

ciffima præditus : Quid præceptor in publicis Aca-  
 demijs dignū laude in suæ fidei creditis discipu-  
 lis egerit, nisi vitæ quoq; sãctimonia suos docuerit?  
 Pater vtyt literat<sup>9</sup> sit, Leonis (vt in prouerbio est)  
 catulum educauerit, nisi moribus quoq; suis ab om-  
 ni parte integris, filio ad optimū viuendi iter præ-  
 luxerit. Corruptet pupillum tutor, si præter literas  
 nihil Christiano homine dignū in se ostenderit. Est  
 enim vt corporum, ita vitiorū animi contagio: nã  
 vt conuictor scabiẽ conuictori facile adfricat, ita  
 quoq; morū lues nõ difficulter in animū aliorum  
 serpit. Et id omniū maxime accidit, si is qui animi  
 vitijs laborat, nobis & amicis præcedat, & plus  
 quã nos sapere & intelligere videatur. Cuiusmo-  
 di parentes nostri sunt, è quibus huius lucis vfurã  
 accepimus. Cuiusmodi præceptores animi parẽtes  
 existunt, quibus ad humanitatẽ informandi credũ-  
 tur iuuenes: vtriq; tales ferẽ formant, illi liberos, hi  
 discipulos, quales ipsi euaserũt. Hinc & illa paro-  
 mia vulgo iactatur, Mali corui, malum ouum. Nec  
 huc male quadrare videtur illud Horatianum,

Fortes creantur fortibus & bonis:

Est in iuuenis, est in equis patrum

Virtus: nec imbellem feroces

Progenerant aquilæ columbam.

Doctrina, sed vim promouet insita,

Rectique cultus pectora roborant.

Sub hæc morū cognitio adeò necessaria est iuueni-  
 bus, vt sine illis, eloquẽtia, Plinio Iuniore teste, egre  
 discatur. Cum Eloquentia, Sapientiæ soror esse, &

I V V E N T . I N S T I .

velit & debeat, prauos hominum animos, cum velis tum remis refugit. Proinde, vsu ipso comperimus, quàm raro aliquid precium operæ in eloquẽtiæ, Germaniæ τῆς σοφίας studio faciant isti, qui morum veluti Megarensium, vt in prouerbio est, nullam rationem habent . Et vt aliquando vsueniat, vt malis moribus imbutus aliquotenus in illa copiose loquente sapientia progrediatur, id sanè tã eum ornat, quàm si quis optimum vnguentum pixidi cœnosæ infundat , aut preciosissimos vniones vasculo limoso inferat. Nã quod Deus Opt. Max. iam olim Ethnicos quosdam sceleratissimos etiam sapientiæ artibus perpoliuit, id ex singulari quadã Dei bonitate factum est, qui, vt de omnibus, ita & de Ethnicis, quamuis impuris, benemereri voluit. Cum verò morum optimorum cognitio, & honeste dicam, an potius Christianæ vitæ ratio, iuuentuti adeò utilis, adeò necessaria quoque sit, putavi officij mei esse vitæ Christianæ iuxta morum corrigendorum præcepta meis, qui mihi ad humanitatem informandi crediti sunt, præscribere. Faciam verò id quàm possum paucissimis, veluti digito commostraturus, ad quænam iuuentus vitam & mores componere debeat. Enimuero, vt inuentus recte & honeste viuat, sic futurũ est, si quid pensi Deo, si quid pensi proximo suo persoluere debeat: si & quomodo corpus curandum , animus excolendus sit, perspecta habuerit. Porro, quid & Deo & proximo iuuentus debeat, non aliunde rectius, quàm ex decẽ Dei Opt. Max. præceptis cognoscet: quæ subijcies

mus, vt in illis ceu in speculo, quæ optima viuendæ ratio sit, perspiciat.

## P R I M V M P R A E C E P T V M .

**V** NI CREDE DE O. Hoc est, vt Salomō in Gnomis suis interpretatur: Fide Deo toto corde, & prudētia tuæ ne innitare: Ne fide tua sapientia. Time Deū, & recede à malo. Hic præcipitur iuuetuti, vt Deo fidat, Deū timeat, nec velut ἔθνη, quosuis Ethnicos turpiter viuendo superet. Docetur hic, vt à Deo prosperum studiorum cursum petat: docetur iuuentus, vt se Deo totam quanta quāta est, in manū, quod aiunt, det. Ita sanè nihil aduersi vnquā ei oboriri poterit. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? inquit Paulus. Exigit ergo Deus hoc præcepto à iuvene, fiducia metum, amorem, spem.

## P R A E C E P T V M

## II

**N** ON vsurpabis nomen Domini tui temere. Hoc est laudibus vehe & nomen & gloriam Dei. Implora nomen Dei, confuge ad illud, velut ad sacram, vt dicūt, anchoram. Et, vt Psalmographus Psalm. 49, præceptum hoc exponit: Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis, & eruā te, & honorificabis me. Huc facit illud Iohelis tredecimo: Reddemus vitulos labiorū nostrorum. Porrò, quid hic commemorem, quā iuuentus nomen Dei temere vsurpet: Et vt aliàs no-

I V V E N T . I N S T I T .

minis τοῦ θεοῦ καταχρησεις omittam, quid verò referā de hoc: quòd plerique nullū verbum ferè faciunt, quin Dei nomen admisceant. Sunt qui adeò per nomē Dei iurare assueuerunt, vt illius desuescere sit difficillimū. Verū, quàm vtrifq; vanus ille & temerarius nominis Domini vsus fraudi futurus sit, Moses ille nomotheta Exodi 21 indicat, dū inquit, Nō vsurpabis nomē Dei tui frustra: nec enim infontē habebit Dominus eū, qui assumpsit nomē Domini Dei sui frustra. Tu audis, quod exemplum in illum futurū sit, qui nomine Dei frustra vtatur. Audis Dominū eum non infontem habiturum: hoc est, nō impune illi futurū qui nomen illud τρεισμέγιστον ore impuro temere prophanet. Quod si, vt autor Epistolæ ad Hebræos ait, horrendum est incidere in manus Dei viuētis, saxeus es, quisquis nō minis Dei deterritus, à temeraria nominis diuini vsurpatione, velis, quod aiunt, equisque refugis. Et quid hic cōmemorē de illis nominis CHRISTI Scruatoris nostri blasphemis nebulonibus, qui ob rē, nec τριχὸς ἄξιον, vt Græci dicunt, CHRISTI passionē, vt alicui exitio sit, imprecantur. In illos sanè publicis legibus merito animaduertēdum esset. Ecquid enim capitalius cōmitti possit, quàm passionē CHRISTI, quæ nobis omnibus saluti fuit, quæ, vt Græcis in Prouerbio est, Mare omnium bonorū existit, adeò scelestis imprecationibus conspurcari, detestari. Capitale est, si quis Imperatorē terrenū maledictis adficiat: Ecquāto capitalius esse deberet, si quis τὸν χριστόν, cui pater omnia dedit

-in manus, Iohan. 13. & cui data est potestas in cae-  
-lo & terra, Matth vlt . probris adfecerit: Et vt ma-  
xime Magistratus ciuiles, in istos passionis CHRI-  
-STI blasphemos non animaduertant, Deus tamē  
ipse, id nūquam inultum dimittet. Sic enim in pri-  
mo Regum libro, capite secundo, proditū est, Qui-  
-cunq; honorificauerit me, glorificabo eum. Qui au-  
-tem contempnent me, erunt ignobiles.

P R A E C E P T V M III.

Abbatha sanctifica. Hoc est, diebus festis fe-  
s rias age. Et quāuis hoc praeceptū de Sabba-  
this, quae Iudaeis sacra & fuerūt & sunt, lo-  
quatur: tamē nos de omnibus diebus festis accipe-  
re possumus, siue dies Sabbathi, siue dies Dominic⁹  
siue alius quispiam dies festus in hebdomade rece-  
ptus sit. Est ergo caput huius praecepti, vt dies festos  
sanctificemus: hoc est, sanctis studijs consecremus.  
sancta verò studia sunt, precibus incūbere, concio-  
nibus Verbi diuini interesse, beneficia, quibus nos  
Deus immerētes per CH R I S T V M ornauit, ornāt  
que, in animū reuocare, illi beneficiorū acceptorū  
ergo, nos gratos praebere. Et quid obstat, quo mi-  
nus hic recenseam nobile illud dictū Gregorij Na-  
zian. in sermone de ferijs Pētecostes, *ἱερτάξομεν καὶ*  
*ἡμῶς ἄλλ' ὡς δοκῆ ἢ πνεύματι, δοκῆ δὲ ἢ λέε*  
*γούτις τῆ τῷ λέου τῶν ἢ πνεύματι, καὶ τοῦτο*  
*ἐστὶ τὰ ἱερτάξομεν ἡμῶν ψυχῆ τῆ θυσανείσαι τῷ*  
*ἐσώτων καὶ κρατουμένων ἄλλ' ἢ τῶν ὑποχω-*  
*ρούντων καὶ λυομένων καὶ μικρὰ σαινόντων τῆρ*  
*ἰδιότητι.*

I V V E N T . I N S T I T .

Quæ sic transpono, Et nos feriamur, sed ita, vt spiritui videtur: videtur verò, vt aliquid honesti & dicamus, & faciamus. Et hoc est nostrò, & sic Christianorum more ferias agere, Animæ aliquid earum rerum, quæ consistunt, quæ durant congerere, sed non occupari rebus temporari cedentibus, & fluxis, & parua quadam voluptate sensui blandientibus. An non verò Theologus ille paucis verbis, quibus nam studijs dies festi traducendi sunt, docet: Vult, & id auctore spiritu, vt ijs diebus quibus iustitium indictum est, honesta dicamus: hoc quid aliud est, quam de rebus honestis sermones conferere, de pietate, fide, spe, charitate? Nolo verò, vt his de rebus iuuetus acriter digladietur, sed alter alteri cedat, sed præceptorum & aliorum, quibus sacræ literæ perspectæ sunt, interpretationi, modo non ἀλλὰ σκοπῶ sit, palmam deferat. Vult Gregorius, vt diebus festis, honestarum rerum functionibus distringamur. Ecquid verò honestius facere potest iuuetus, quam si oret, sacris intersit, concionibus adsit? In quibus hoc non parum commodi iuuentuti attulerit, Nouum testamentum, vel ab Erasmo traductum, vel in sua natiua lingua in manibus habere, & locos à cordatis concionatoribus citatos requirere, requisitos in memoriæ thesaurum recondere. In memoriæ thesaurum reconditos, crebra usurpatione in medium proferre: & quod τὸ κενόφλοισον est, vitam ad locos illos instituere. Sunt quidem hoc nostro seculo iuuenes plerique de sacris literis mire loquaces: sed Ἐγὼ μὲν ὡσπερ τὸν



γλωσσῶν εὐσεβοῦν ἔχουσι καὶ δεινὴν ἐπιπέδου  
 λόγοις ἐυγενετέροις τε καὶ δοκιματέροις οὕτω  
 ἔτι καὶ περὶ τὰς πράξεις ἡσυχάζοντο.

Hoc est, sed utinam ut linguam quidem valde vor-  
 lubilē habent, & ad de fermonibus honestis & pro-  
 batis differendum promptam, sic & operibus vac-  
 carent. Sub hæc vult Gregorius ille, ut festis die-  
 bus bona, quæ non vetustatis iniuria corrumpun-  
 tur, paremus. Ecquæ illa sunt? Illa haud dubie, de  
 quibus CHRISTVS Matth. 5. Primum quærite  
 regnum Dei & iustitiam eius, & omnia adiiciētur  
 vobis. Hæc prolixius tracto, quòd sciam iuuentutē  
 nulla omnino cura orationis, sacrarum concionū,  
 & aliorum studiorum, quæ diebus festis cōgruunt,  
 distorqueri. Immo putant iuvenes, illos dies otio &  
 ignaviæ datos: proinde nullo tēpore magis prode-  
 ambulant, perpotāt, quàm quo ab Ecclesia feriis  
 indictis à laboribus externis superfedetur. Sed ex  
 illis quæ retuli, iuuentus, opinor, quibus rebus dies  
 festi dedicari debeant, liquido intelliget.

## P R A E C E P T V M I I I I.

Onora patrem & matrem, ut bene sit ti-  
 bi, & longæuus sis super terrā. Id est, pa-  
 rentibus obtempera illos cole, metue, il-  
 lis pro re succurre, corā illis caput aperi, ad surge,  
 sine illos priores partes habere, obedi illis in om-  
 nibus. Sic enim Paulus ad Collos. 3. inquit, Filij,  
 obedite parentibus in omnibus, hoc enim placet  
 b. j.

I V V E N T . I N S T I T .

Deo. Porro, quod in præcepto additur, Si vis longæuus esse super terram: θελκτήριον veluti est, quo iuuentus ad honorem parentibus habendum allicitur. Cū enim iuuētus ferè vitæ amore flagret, Deus hoc præcepto vitam longæuam pollicetur, si erga parentes, pro eo, ac decet, adfecti fuerint. Vnde & Homerus Ethnicus libro Iliados ὁ, scribit,

Οὐδὲ τοκῶσι.

Θρέψῃ φίλοις ἀπέδωκε μινυνοῦ ἀδελτος δὲ διαιτῶν.

Hoc est, neque parentibus præmia nutritionis recipit, breue ei æuum erat. Hinc Salomon (vt facta prophanis misceam) inquit, Oculum, qui patrē — fastidit, & matris imperium contemnit, corui iuxta flumen effodient, & vorabūt aquilæ. Huc refer illas nobiles veterū Sapientum Gnomas, quibus iuuentutē ad parētibus obtemperandū adeo diligenter cohortati sunt. Cuiusmodi est illud Pythagoræ, τούσδε γονεῖς τίμα. Id est, parêtes honora. Cuiusmodi est & illud, nescio quo autore profectum, Βούλου γονεῖς πρὸ παντός ἐν τιμαῖς ἔχειν. Γονεῖς δὲ τίμα καὶ φίλους εὐεργέται. Ελπίζει τιμῶν τοὺς γονεῖς πρὸ ἄξια καλῶς Θεοὶ μέγιστοι τοῖς φρονούσιμ δι γονεῖς ἱκανῶς βιώσας γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς. Νόμιζει αὐτῶν τοὺς γονεῖς ἔναι θεοὺς. Id est, Velis parêtes ante omnia in honore habere. Parêtes quidem honora, & de amicis bene merere. Spera si honore adificis parêtes, te facturū esse honeste. Dij maximi sunt ijs, qui sapiūt parentes. Cōmode viues, si parêtes senio cōfectos nutrias. Existima tibi ipsi parentes Deūm loco existere. Huc facta

eit illud Ciceronis lib. Offic. 2, In ipsa autē cōmuni-  
 tate, sunt gradus officiorum, ex quibus quid cuique  
 praestet intelligi possit. Et prima Dijs immortalis-  
 bus, secunda patriæ, tertia parētibus, deinceps gra-  
 datim reliqua cæteris debeantur. Adhæc, vt iuuen-  
 tus parētibus obtemperet, illos vicissim si vsus po-  
 poscerit, alat, & bruta animantia eā extimulēt. Nā  
 Plinius ita de Ciconijs scribit, Ciconiæ nidos eos-  
 dē repetūt: genitorum senectam inuicem educant.  
 Et de gliribus quoque ita ait, Glires genitores suos  
 fessos senectæ, alunt, insigni pietate. Cæterum hoc  
 præceptū non tantum à iuuentute exigit, vt parē-  
 tibus, ex quibus lucis huius primordia sumpsit, ho-  
 norem habeat: sed etiā Magistratibus obediat, illos  
 colat, metuat. Nā & illi parentum numero sunt, vt  
 qui nō secus atque parētes, vt res & publicæ & pri-  
 uatæ singulorū in tuto collocentur, sedulo prospici-  
 ciunt. Huc refer illud Pauli ad Rom. 13. Omnis ani-  
 ma potestatibus excellētibus subdita sit, &c. Huc fa-  
 cit illud ex Epistola Petri priore, capite secūdo, Pro-  
 inde subditi estote *ἡ ἀρχὴ ἡ ἀνθερωπίνῃ κτλσθ*. Exigit  
 hoc præceptum, vt iuuetus viros maiores natu ho-  
 noret, veneretur, amet, obseruet. Vnde Paulus in  
 Epistola ad Timoth. priore, capite quinto, Seniorē  
 ne sæuius obiurges, sed adhortare vt patrem. Et Ci-  
 cero Ethnicus lib. Offi. 2. inquit, Est igitur adolescē-  
 tis maiores natu vereri: ineuntis enim ætatis ins-  
 scitia secū constituenda & regenda, prudentia est.  
 Huc facit & illud Iuuenalis Satyra 13,  
 Improbitas illo fuit admirabilis æuo:

I V V E N T . I N S T I T .

Credebant hoc grande nephas & morte piandum  
Si iuuenis vetulo nō assurrexerit, & si  
Barbato cuiusque puer licet ipse videret  
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos.  
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis.  
Sub hæc iuuetus in hoc præcepto quarto docetur,  
vt præceptoribus animorū, vt Fabius inquit, par-  
tibus quibus ad bonas literas informanda credita  
est, honorem tribuat, illos collat, metuat. Nā si cari-  
nales parentes, qui liberis de victu prospiciant, ho-  
norandi sunt: merito & præceptores honorantur,  
qui de animi discipulorū pabulo inter diu nocturq;  
distorquentur. Si parentibus corporis honor debetur,  
quod in lucem liberos ediderint: merito & hon-  
or præceptoribus debetur, vt qui id quod paren-  
tes progenuerūt, honestis & moribus & literis for-  
māt, ne bestię magis quàm hominis simile existat.  
Celebres enim sunt illi versiculi Poetæ,  
Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,  
Pectora mollescunt, asperitasque fugit.  
Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes  
Emollit mores, nec sinit esse feros.  
Honorandi sunt parentes, quod infantię nostræ  
molestiam pertulerint: honorantur & merito præ-  
ceptores, qui in animo rudī discipulorū erudiendo,  
I E S V bone, quantū molestię, quantū laboris deuo-  
rant. honore adficiēdi sunt parētes, quod vitæ nos-  
stræ authores sunt: honore adficiētur & præcepto-  
res, qui vitā à parentibus acceptam, ita instituūt, vt  
& nobis ornamēto, & alijs vsui esse possit. Ideo ve-

rō nos Deus vita potiri patitur, vt vita nostra alio-  
 rum comparemus commoda . Iam verò cum non  
 aliter fit atque dixi, iuuentus, certo animum suum  
 inducat credere, quòd vt Dominus  $\delta$  παντοκρα-  
 τωρ, vt puto, eū qui, vt Solomon inquit, patrē adfli-  
 git, id est, nō honorat, persecuturus sit, exemplū ha-  
 bes in Absolone: ita quoque nō parsurus sit ei, qui  
 parentem animi, hoc est, praeceptorem adfligit, id  
 est, nullo honore dignetur . Quid ego hic exempla  
 vetera commemorem: cum nusquam nō exempla  
 vel hodie obuia sint. Videmus enim istos praecep-  
 torum vituperones & famae & rei familiaris nau-  
 fragium incidere: videmus plerisque mala morte  
 citius opinione occumbere: videmus istos ita ab al-  
 ijs vituperari, contemni, ignominia adfici, vt prae-  
 ceptores vituperarunt, contempserunt, ignominia  
 adfecerunt: cum si qui istorū contēptorum animi  
 parentum liberos sustollant, eos erga se expeiuntur,  
 quales olim ipsi erga praeceptores fuerint . Et  
 sunt quidem hęc mala, quæ retuli  $\pi\rho\sigma\kappa\alpha\iota\epsilon\alpha$ , sed  
 nulli dubiū sit, Deum quoque in futuro seculo, illā  
 $\tau\eta\nu$  ἀπειθήν, illam rebellionē discipulorū aduersus  
 praeceptores impunitā nō dimissurū . Et vt iu-  
 uētus propensioribus animis parentes, tā corporis  
 quā animi obseruet, moueat eā exemplū  $\sigma\eta\kappa\iota\sigma\tau\iota$   
 s t i, qui vt Lucas scribit, descendit cum parenti-  
 bus, & erat subditus illis . Moueant eam exempla  
 Ethnicorū, qui adeò pij, adeò religiosi in suos prae-  
 ceptores extiterunt . Et vt ex omnibus vnū adferā:  
 nō obscurum est ex Homero, quā Achilles  $\xi\rho\mu\sigma$

I V V E N T . I N S T I T

ἄχαιῶν Phoenicē præceptorem, & antehac & lega-  
tū ad se ab Agamemnone missum, præ cæteris ho-  
nорifice tractarit. Nec clām esse arbitror quām  
Phylliridem (cui vt cytharę pulsandæ artem discere,  
cōmissus erat) Achilles obseruarit, coluerit, me-  
tuerit. Sic enim de illo inquit poeta Elegiograph⁹,  
Phyllirides puerum cytharę præfecit Achillem:

Atque animos molli contulit arte feros.

Qui toties socios, toties exterruit hostes:

Dicitur annosum pertimuisse senem.

Quas Hector sensurus erat poscente magistro:

Verberibus iussas præbuit ille manus.

De illo & Iuuen. Saty. 7. scribit,

Qui præceptorem sancti voluere parentis

Esse loco, metuens virgæ cum grandis Achilles

Cantabat patrijs in montibus &c.

Iam si Achilles rex tantus, Phoenicē præceptorē  
suum adeò honorauit, adeò coluit: quantum ob-  
secro dedecus est iuueni, cū Achille, ne tantulū qui  
dem comparando, se aduersus præceptorem suum  
tam honorificum, tam religiosum præbere? Si fe-  
cit rex ille Ethnicus: quanto magis faciet iuuenis  
plebeius? Et vt maxime quis patritius sit, cōmuni-  
bus tamen baptismi sacris inauguratus est, quæ  
ei aurem, vt in Prouerbio est, vellent, vt præceptorē  
ri honorem habeat. Achilles Ethnicus etiam Cy-  
tharæcedum metuit, obseruauit. Et iuuenis Christia-  
nus præceptorem suum qui docet eum,

Μὴ δῶντε ἐκτῆρ, ἔμμεναι περικτῆρατὶ ἔργωρ,

Hoc est,

Et bene dicendi & viuendi noscere normam: non metuet: non obseruabit:  
Sed nos immensum spacijs confecimus æquor:  
Et iam tempus equum spumantia soluere colla.

## P R A E C E P T V M V .

E occidas, Hoc est, neminē manu occide,  
Nemini inuide, neminē verbis probrosi  
incede, nemini successe. Nā sic hoc præceptum ipse CHRIS TVS Matth. 5. exponit, Audistis quod dictum sit veteribus, nō occides: quisquis autē occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico vobis, quisquis irascitur fratri suo temere, obnoxius erit iudicio. Quicumq; verò dixerit fratri suo Racha, obnoxius erit cōcilio. Quisquis verò dixerit fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. Exigit ergo hic à iuuentute Deus, ne homicidium perpetret, vt quod Deus non vnquam inultum patietur. Exemplum habes in Cham, Gen. 4. Exigit, vt iram frenet. Vnde ad Ephes. 4. inquit Paulus, Irascimini, & ne peccetis, sol non occidat super irā vestrā. Et vt prophana sacris admisceam, Poeta quoque inquit, Vince animos irāq; tuā qui cætera vincis. Et rursus, Pertinet ad faciem rabidos cōposcere mores:

Candida pax homines, trux decet ira feras.

## P R A E C E P T V M VI .

N On sis adulter. Id est, Tu quantus quantus es, & corpore & animo, ne adultatio te conspurca: ne corpus libidini  
b. iij.

I V V E N T. I N S T I T.

bus æstuet, ne mens cupiditatibus veneris ardeat, oculos, manus comprime. Nam sic **CHRISTVS** Mat. 5. præceptum hoc exponit, Audistis quòd dictum fuerit antiquis: Non committes adulterium. at ego dico vobis, quòd quicumque aspexerit vxorem alterius ad concupiscendum eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo. Atque hic audit iuuentus, Deum summam castimoniam exigere. Audit libidinem omnem, siue illa adulterio, siue scortatione fiat, prohiberi. Et vt de scortatione pauca dicam, hac sanè nulla maior, nulla turpior pestis homini accidere potest, vt quæ totum hominem adeò commutat, vt non cognoscas eundem esse. Testis est Dauid, quo nemo magis masculus, nemo cordatior erat: at is, vbi turpissimè libidinis æstu exardet, adeò sui dissimilis euadit, vt vere de illo, verbis pauculis cõmutatis dicere posses, O quãtũ mutatus ab illo es Dauid: vsque adeò verum illud Osæ 4. Fornicatio, & vinum & ebrietas, auferunt cor. Accedit huc, quòd cum Deus Opt. Max. præcipiat, vt corpori nostro suum honorem, qui est ὁ ἀγαλλομας, vt Paulus inquit, & puritas, indelibatum seruemus: Is qui scortatur in corpus suum peccat, r. ad Corint. 6. hoc est, corpus illo suo honore fraudat. Quid verò commemorem, quantũ τὸ πᾶθος, vt in Græcorum prouerbio est, malorum scortatio cum omnis generis, tũ liberalibus artibus addictæ iuuentuti adportet, nimirum patrimonij profusione, famè dispendium, virtũ corporis enervationem, innumera morborũ agmina, morbum regium, quæ



plerique Gallicum adpellât, morbum testicularē, φθισίς: non raro enim compertum est iuuenes nō parum multos, qui se scortationi dederât, acceptis ab amicis, immo inimicis potius philtris, cōtabuifse. Taceo, quod nil scortationi, cum literis commercij sit: id quod etiam Poetæ, miri rerū omnium adūbratores in hoc designarunt, dum & Palladem ē crebro Iouis natam, & Musas virgines esse, confinxerunt. Quod si hæc quæ commemorauī, iuuenem à scortationis studio non absterreant, absterreat il lud quod Deus non vllum ferè peccatum grauius puniat, quàm scortationē. Quid obsecro Sodomā & Gomorram vrbes florentissimas adedò in cinerē redegit, vt ne ruina quidem supersit? quid illarum vrbiū incolas, æternis cruciatibus destinauit? scortatio & stuprum. Sic enim inquit Iudas in Epistola sua, Sicut Sodoma & Gomorra, & ijs finitimæ ciuitates, quæ ad consimilem modum cum illis, stupris inquinatæ fuerant, propositæ sunt exemplo ignis æterni poenā sustinentes. Cur verò Dominus viginti tria millia hominum, ex populo Israelitico, vno die occidit? scortationis stupri ergo. Sic certe Paulus in Epistola ad Corinth. priore, cap. 14, inquit, Neque stupris inquinemur, sicut quidam illorum stupris polluti sunt, & conciderunt vno die viginti tria millia. Absterreant iuuetutem à scortatione scripturæ Sacræ, quæ tam crebro & prohibent, & poenam huic libidini propositam certo adfirmant. Paulus, 1. ad Corinth. 6. Fugite scortationem, inquit. Et ad Thessal 4. Hæc est voluntas Dei

I V V E N T . I N S T I T .

(arrigat aures iuuetus) sanctificatio vestra, vt abstineatis à scortatione, & sciat vnusquisque vestrum, suum vas possidere cum sanctificatione & honore, non cum adfectu concupiscentiæ, quemadmodum & Gentes, quæ non nouerūt Deum. Salomon cap. 5. Stillans fauus est scorti os, & mollius est quàm oleū, & collū eius, verū postrema amara sunt velut absynthiū, & acuta ceu gladius: proinde fili ausculta mihi, nec à sermone meo discede, viam eius procul fugito, nec adcede ad fores ædium eius. Porro, pœnam propositam ostēdit Paulus ad Corinth. 6. Neque scortatores, neque adulteri, regni hēreditatem accipient. O scelus abominandum, o scelus iuueni, cum remis tum velis fugiēdum. Audis scortatores regni æterni hēreditate priuari: hoc est, perpetuis inferni tenebris addici. I nunc & scortare. At inquiet aliquis, Quinam hoc malū tam detestabile fugere possum? Audi, vt fugias, hoc primū remediū erit, si à CHRISTO Opt. Max. quotidie intimis precibus contenderis, vt pudicitæ tuæ florem illibatum cōseruet, si CHRISTVM ex toto pectore rogaueris, vt te à turpissimo libidinis incēdio liberet: tum sanè CHRISTVS, vt est erga pudicos animo propensissimo, in te efficiet, vt nullo prorsus scortationis ardore inflāmeris. Audi obsecro, quid dicat Salomon cap. 2. Eripiet item sapientia, id est, CHRISTVS qui est sapientia à Deo, 1. Corinth. 2. à muliere aliena, quæ se blanditijs venditat, & relicto pristino marito, pacti. diuini obliuiscitur. Vt scortationem effugias, & illud effecerit, si otium, vt

omnium malorum, ita vnicū scortationis semina-  
rium fugeris. noti sunt isti versiculi Poetæ,

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus:

Contemptæque iacent & sine luce faces.

Quæritur, Aegyptus quare sit factus adulter?

In promptu causa est, desidiosus erat.

Quàm platanus riuo gaudet, quàm populus vnda,

Et quàm limosa, canna palustris humo:

Tam Venus otia amat. finem qui quæris amoris?

Cedit amor rebus: res age, tutus eris.

Est & celebris vox senis illius Terentiani conque-  
rētis de amoribus filij, Ex nulla alia re istud, nisi ex  
nimio otio venit. Tum si ab hoc malo immunis esse  
vis, illorum contubernia cane peius & angue odi,  
qui in scortis male audiūt. vt enim corporis, ita &  
animi vitia contagio serpunt in vicinum. Vnde il-  
lud Senecæ in libro de ira tertio, quod vtinam ius-  
uenes non legerent solum, verumetiam mentibus  
infulperent, Sumūtur inquit à cōuersantibus mo-  
res. Et vt quædam in contactis corpore vitia transi-  
liunt, ita animus sua mala proximis tradit. Ebrius  
conuictores in amorem vini traxit. Impudico-  
rum coetus fortemque, & si liceat, virum, emollit.  
Porro, nec illud parū ad vitādū hoc scelus fecerit,  
si prospexeris, ne te illis adiungas, qui nil nisi de  
scortatione, de stupris blatterant. φθέρουσιν ἢ θη-  
χρήσι δμιλίχι κακαί, Id est, Corruptū bonos mo-  
res colloquia praua. Quē versum & Apostolus Pau-  
lus priori ad Corint. Epistolæ inserere dignatus est.  
Deniq; si scortari noles, occasionē scortādij fugito.

I V V E N T . I N S T I T .

Proinde Paulus dicit *φύγετε τὴν πορνείαν*, Id est Fugite scortationem. Ecce fugam, & hoc malum à nobis propulsare, admonere vult. Exemplū est nobis Ioseph, qui ne turpi amore vxoris Pharaonis accenderetur, eam quoad eius fieri poterat, fugiebat. Flamma, inquit Comicus quidam, fumo proxima est. Si libidinis flamma inflammari non vis, & loca & homines fuge, à quibus, ad hoc vitij incitari potes. Nam vt Salomō inquit, vt fieri nequit quod non adurat vestem, quisquis ignem in sinu fouerit: & pedes haud dubie læserit, quisquis supra carbones incesserit: Ita, quisquis ad alterius vxorē accesserit, quisquis attigerit, feret infortunium. Et quod penè præterieram: à scortatione alienus esse vis: cura, vt immodestam & vini & ceruisiæ ingurgitationem, id est, ebrietatem vitēs. Notū est illud Valerij, Venter vino æstuās facile in libidinem despumat. Notum est illud poetæ,

Vina parant animos Veneri.

Et hæc quidem, quæ hactenus dixi, ad scortationē pertinent. quid verò de adulterio dicam? quod vt à scortatione non nihil diuersum est, ita non minus malorum inuehit, non minus Deo aduersum existit, nō minus poenæ homini creat. Dicit enim Paulus, Neque scortatores, neque adulteri, regni hereditatem accipient. Sed de hoc aliās. in presentia satis sit iuuentuti commōstrasse, quā turpis, quā omnibus malis referta, quā Deo odiosa res sit scortatio. satis est me ostendisse, malum hoc diuina gratia & alijs honestis functionibus expugnari

posse. Faxit CHRISTVS, vt hoc scelus quàm est detestabile, tam iuuentuti exosum reddatur. Amē.

## P R A E C E P T V M VII.

**N** On furtum facias. Hoc est, bene merere de proximo tuo. illius bona ne compila, ab vsuris illicitis tibi tempera. Huc facit illud Pauli, Qui furatur, non amplius furetur: magis autem operetur, laborando manibus quod bonum est, vt possit impartire ei, qui opus habuerit.

## P R A E C E P T V M VIII.

**N** On loquaris contra proximum tuum falsum testimonium. Hoc est, neminem falso testimonio opprime: ne in testem vocatus, contra proximum circumueni, claram proximi tui famam ne obscura, ne obtrectationibus, ne calumnijs indulgeto. Hic exigit à iuuentute Deus, vt veritatis amore teneatur, mendacij odio capiat. Sic enim Paulus, Quapropter, deposito mendacio, loquimini veritatē quisque proximo suo, quoniam sumus inuicem membra. Hic exigit Deus, vt iuuentus vitium illud proximo obtrectandi, vel clam vel apertè, hoc seculo prohdolor adeò vulgatum in omnibus circulis, conuiujs, prandijs, cœnis fugiat. Id quod vt iuuentus faciat, præter edictum Dei, etiam illud ab ea impetrauerit, quod in proximo nihil damnare, nihil maledica lingua percipere potest, quin illum, qui proximum ita labi, ita errare patitur, dānet, lingua petulanti incessat. dam-

I V V E N T . I N S T I T .

nas illum quòd non insigniter doctus est: sed heus tu an non damnando proximum, damnas Deum, qui pro suo còsilio, vnicuiq; impartit id quod vult? Obtrectas huic quòd iam hic, iam alibi lapsus sit: at illa obtrectatione insultas Deo, cui stat quilibet & cadit, vt Paulus ad Romanos scribit. Obtrectas huic, quòd nò opibus abundet: obtrectas igitur & Deo, à quo paupertas proficiscitur, Ecclesiastici vn<sup>o</sup> decimo, Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas, à Deo sunt. Breuiter, quid de vilo homine male prædicare potes, quin male prædicãdo de homine, & de deo omnium rerum authore prædicēs? Quid quod, cum nemo, vt Poeta ille Ethnicus inquit, sine vitijs nascatur: qua nam frõte, proximo obtrectare audes, qui in te tam multa obtrectationi, si ea licita esset, exposita ostentas? Insanū putas, si claudus loripedem derideat, de illo male prædicet: Cur nò etiam insanū putes, si tu eiusdem, quod aiunt, cum proximo monetæ, in proximo tuo insectando, tam ridicule, tam virulente declamas? Accedit huc, quòd iuuentutem vel cum primis ab obtrectandi studio abstrahat, nempe quòd sacræ literæ, hoc vitium adeò execrantur, adeò detestantur, adeò interdiciunt. Leuitici nono inquit Dominus, Nò eris criminator, nec susurro in populis. Prouerbiorū vigesimoquarto, Cogitatio stulti, peccatū est, & abominatio hominum detractor. Paulus ad Romanos primo, *Inter τὸν ἀσεβῆς καταλάλους*, id est, obtrectatores quoque numerat. Deniq; ab hoc vitio iuuentutē absterreat, quòd Deus obtrectādī

studium grauiſſime puniat. Cuius exemplum in hiſtoria Suſannæ Danielis 13, memoriæ prodiſſe eſt.

## P R A E C E P T V M IX. ET X.

On concupiſces vxorem proximi: nō deſiderabis vxorem proximi, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinū, nō omnia quæ illius ſunt. Hoc eſt, ne honorū proximi tui cupiditate flagres, ne opta tibi bene eſſe, etiam ſi proximo ſit male: ne inuide proximo & honeſtā & pudicā vxorem, bene educatos liberos, fidelem & ſedulam familiam. & vt ἀποστόμος dicam, præceptū hoc exigit, ne quis cupiat omnia ſibi ad nutū fluere, etiā ſi proximus extrema paupertate diſtorequeatur. Neque verò Chriſtianum eſt, quod impius ille apud Terentium gānit, Omnes ſibi melius eſſe malunt quàm alteri: immò omnes alteri melius eſſe maluerunt, quàm ſibi. Charitas enim Chriſtiana nō quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum, prima ad Corinthios decimotertio.

## P E R O R A T I O .

X his decem præceptis opinor, iuuentus didicit, quid nā Deo, quid nam proximo debeat. Debet verò Deo fidē, ſpem, charitatem, religioſam nominis eius uſurpationē, Sabbathorum eius ſanctificationē. Proximo debet charitatē, quæ eſt totius legis ἀνακιφαλάξιως. Iā, vt mea refert ſententiā, iuuetus tenet, quæ vita Deo ſordi, quæ odio ſit: qui mores Chriſtianū redoleāt,

I V V E N T. I N S T I T.

qui paganum respiciant. Cæterum cum Deus Opt. Max. hominem ex corpore & animo constituerit, me pretium operæ facturum reor, si, id quod etiam in principio recepi, pauca quædam præcepta de cura, tam corporis quàm animi, præscripsero. Tū nec abs re erit, si & in plerisque alijs rebus, quid dignum sit iuuenibus ostendero. Enimvero cum corpus certis partibus constet, quàm potest fieri breuissime, curam τῆς τοῦ σώματος partium corporis, non omnium quidem, sed præcipuarum, demonstrabo. Et primum omnium, qualis cura totius corporis iuuenem deceat, Ouidius his versiculis, vt eruditissime, ita breuissime complexus est,

Munditiæ placeant, fuscantur corpora campo:

Sit bene conueniens, & sine labe toga.

Linguâque nec rigeat, careant rubigine dentes:

Nec vagus in laxa pes tibi pelle nater.

Nec male deformet rigidos tonsura capillos:

Sit coma, sit docta barba relecta manu.

Et nihil emineant, & sint sine fordibus vngues:

Inque caua nullus stet tibi nare pilus.

Nec male odorati sit tristis anhelitus oris:

Nec lædat nares vîrque patêrque gregis.

Quàm sepe admonui ne trux caper iret in alas.

Quid si præcipiam ne fuscet inertia dentes:

Orâque suscepta mane lauentur aqua!

VT OCVLIS VTI IUVENIS DEBEAT.

Ne passim, vt Salomon inquit, vagêtur oculi, sed rectè te præcurrant.



Q V A L I S C V R A M A N V V M  
i u u e n i h a b e n d a .

Manus sordibus careant. Et vt Poeta dixit, Et ni hil emineant, & sint sine sordibus vngues. Dum iuuenis cum viro aliquo graui colloquitur, manus cōpositas habeat, nec vt rusticis ferè in more est, inter colloquia aut manibus gesticuletur, aut è mitra plumas, si quæ infederint, carpat.

Q V A E P E D V M C V R A  
i u u e n e m d e c e a t .

Inter colloquēdum iuuenis pedes coniunctos habeat, nec more ebriorū huc illuc vacillet, id quod proniturus non eram, nisi & id iuueni ornamento esse, satis certo scirem. Aliorum membrorum τὸ πρῶτον & curam, in praesentia non referam, tum quòd infiniti laboris futurum est, tum quòd membrorum primariorum curam ἡ νεανίου ἀξίαυ οὐκ ἔδιδε, satis duco. Cum verò & non parum referat, quonam incessu vtatur, & de illo pauca subijciam.

I N C E S S V S I N V E N E  
d i g n u s q u i s .

Recta incede: & viæ tuæ rectæ sint, nec declina ad dextrā nec sinistram, deflecte à malo, hæc Salomon. Cur enim non ex illo potius quàm alio scriptore, iuuetutis mores formem? vt qui spiritu Dei adflatus, Gnomas Christianæ iuuentuti semper in sinu gestandas, immò edificēdas potius edidit. Huc

## I V V E N T. I N S T I T.

refer & illud Ciceronis ex libro Officiorū primo, Cauendum est autem ne aut tarditatibus vtamur in gressu mollioribus, vt similes pomparū ferculis esse videamur, aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates: quæ cum fiunt, anhelitus mouetur, vultus mutatur, ora torquetur. Ex quibus magna significatio fit non adesse constantiam.

### Q V A L I S C V L T V S I V X T À V E S T I : tus corporis iuuenem ornet.

Cum non parum referat quo cultu, pariter & vestitu corporis iuuenis vtatur, libet & de vtroque pauca subijcere.

Sint procul à nobis iuuenes vt fœmina compta

Fine coli modico, forma virilis amat:

Forma viros neglecta decet.

De vestitu iuuentutis non est quod multa præcipiam, cum tot ferè genera vestitus sint, quot nationes existant, proinde de hoc admonuisse satis sit, vt iuuenis vestitu se digno ornet. Et hoc vnum cū primis curet, vt membra virilia obtecta, & ab hominū obtutibus remota sint. quæ enim, inquit Cicero in libro Officiorum primo, natura occultauit, eadem omnes qui sana mente sunt, remouent ab oculis: ipsique necessitati dant operam, vt quàm occultissime pareant. Hęc ille. Sed quid hodie prò pudor fit? Ecce iuuenes perfricta fronte, coram honestissimis puellis, corā integerrimis matronis, corā ipsis etiā præceptoribus membra illa virilia impudētissime ostentant. Et vbi à præceptore admonentur, vt illa

obtegant, nescio quot paralyfes ei imprecantur. In hos sanè Cynœdos Academiæ moderatores, vel grauissimè animaduertere deberēt. Indignū enim est iuuentutē in tanta inuerecundia adollescere, indignum est illam inuerecundiam inultam existere.

QVALES MORES IN MENSA  
iuuenes deceant.

Cum plerique iuuenes adeò inepte, adeò rustice se inter prandendum, iuxta cœnādum gerant, proinde & de mensæ moribus pauca præcipere duxi. At, qui mores inter cibū capiēdum iuuenes ornēt, Ouidius paucis versiculis scitissime complexus est, Carpe cibum digitis, est quidam gestus edendi.

Ora immunda, toga perunge manu.

Nëve diu præsume dapes, sed desine citra

Quàm cupias, paulo quàm potes esse minus.

Et vt obiter quoque hoc admoneam, iuueni inter prandendum, cœnandum, comessandum, ebrietatem fugiendam esse. Tum quòd literæ sacræ eam Christianis interdican. Sic enim Luca 21, CHRISTVS inquit: Cauete, ne grauētur corda vestra crapula & ebrietate. Et Paulus ad Rom. 13, inquit, Tanquā in die cōposite ambulemus, non in comestationibus & ebrietatibus. Tū quòd nulla res sit, quæ plus malorum iuuenibus adportet. Hinc enim vt Plinius scribit, pallor & genæ pendulæ, oculorū vlcera, tremulæ manus effundentes plena vasa, & (quæ sit pœna præsens) furiales forni, & iniquis nocturna. Salomon in Quomīs suis, Vinum, inquit,

c. ij.

I V V E N T . I N S T I T .

subfannatores facit, & tumultus ebrietas. Verum quod omnium malorum vltimū est, Ebriosos Paulus regni Dei hæreditatē non consecuturos, in Epistola ad Corinthios priore, capite sexto scribit. Et hæc quidem de ebrietate fugienda *παρρηγοῖς* iuventutem admonitam volo. Quòd si bibere volet, ita bibat, vt officium præstent mēnsque pedēsque suum. sic enim Ouidius in primo artis. Sed cur nō alios quoque illius Poetæ versiculos refero?

Iurgia, inquit, præcipue vino stimolata caueto:

Et nimium faciles ad fera bella manus.

Occidit Eurytion stulte data vina bibendo:

Aptior est dulci mensa, merūmque ioco.

Atque vtinam iuventus studiosa Romuli regis illius Romanorum exemplum inter bibēdum æmularetur, qui ad cœnam à quodam inuitatus, cū non ita multum bibisset, quia postridie negotium haberet, ei dicunt, Romule, si istuc omnes homines faciāt, vinū vilius sit. Tum ille, Immò verò carum, si quantum quisque volet, bibat: nam ego bibi quantum volui. Quòd si iuventus sobrias, vt æquum est, compotatiunculas adornauerit, & inter præbibendū aliquid serij agat, ne & hoc tempus frustra adfluat. Nimirum iuuenis præbibeatur suo compositori, versiculo aliquo ex tempore conficō præferatur. Et vt docendi gratia exempla pauca subijciā,

FORMYLAE PRAEBIBENDI.

Hoc tibi τῆς χάριτος ποτὸν δοχῆς sodalis.

Vel sic,

Præbibo quicquid id est pocli studiose Iacobe.

Vel sic.

Iã bibo, deinde statim me Petre sequare bibēdo.  
Vbi is cui præhibetur, respondere poterit versicu-  
lo quoque, eiusdem farinae, hoc est, extemporario. &  
hoc quidē vel pētametro, vel si potest, hexametro.

Sit foelix faustum Petre diserte tibi. Vel sic,

Sit foelix charus, potus vtrique tuus.

Vel sic,

Accipio oblatum pergrato pectore poclum.

QVIBVS DE REBVS IVENTVS IN-  
ter cibum capiendum confabulari debeat.

In mensa iuvenes nec omnino muti sint, nec ni-  
mium loquaculi, siquidem illud tristis, hoc stolidæ  
mentis indicium est. Quod si verò loqui volent, de  
rebus honestis, & illis è quibus tam ipsi quàm alij  
conuictores meliores abeāt, loquantur. Et vt syluā  
quādam sermonum, qui iuvenes inter edendū de-  
ceant commonstrem: Aliquādo de nomenclaturis  
ferculorum, quæ in mensam apponuntur, inter se  
sermones conferant. Aliquando de varijs potus ge-  
neribus confabulētur. Neque verò ἀρωγὴ fuerit,  
illa, quæ interdum vel à præceptoribus audiuerunt,  
uel priuatim suo Marte legerunt, veluti cōtentio-  
nis malum in mediū conijcere, & aliorū quoque  
de illis sententiam inquirere. Non ineptū fuerit &  
de carniū varietate, salubritate, facili digestionē  
differere. Nimirū aues imbecillius alimentum suffi-

I V V E N T. I N S T I T

cere quàm quadrupedes, præsertim quàm sues, sed cõcoctu facilius. Aues iuniores veteribus humidiores existere, iuxta coctu faciliores, tum alimēti validioris. Anseris carnē plurimū superfluitatis in humano corpore relinquere, ægre cõcoqui. Præterea carnem suillam validam quidem esse, sed ex illius estu alimentū contrahi & glutinosum, & haud facile dissipatu. Ouillam carnē superfluitatibus redundare, malique succi esse. Bubulam carnem, atrā bilem parere. Leporinam carnem crassi succi existere. Cerui carnē duram coctūq; difficilem præbere alimoniam. Hæc & huiusmodi, quæ cum alijs, tum in Paulo Aegineta tradūtur, inter comedendum producere, admodū & decorū & vtile erit: tum si quis quid de hac vel illa aue, de hac vel alia fera, de hoc vel illo pisciū genere, quod memorabile sit, vel legerit vel audiuerit, exponat. Cuiusmodi est illud Martialis (Exempla enim pauca, vt iuuentus ad similia & obseruāda & promenda acuatur, adferā.)  
 Inter aues Turdus, si quis me iudice certet:

Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Sic eiusdem est illud de Anserē.

Hæc seruauit auis Tarpeia templa tonantis.

Miraris nondum fecerat illa Deus.

Sic Plin. de vulpe scripsit, animal esse solerti auditu, vt quod aure ad glaciē adposita, coniectet crassius dinē gelu. Sic de ceruis scribit, quod cum erexerint aures, acerrimi auditus: cū remiserint, surdi existāt.

Huc refer & sermones de lacte. Nimirum lac cõstū alere quidem corpus, sed gingiuis dentibusque officere. Lac Caprinum mediocris esse substantiæ,

Ouillū crassiotis. Huc accerse & colloquia de ouis,  
 Gallinarum, phasianorumque oua prima existere.  
 Sorbilia melius descēdere, & gutturis asperitatē le-  
 nire, reliqua omnia coctu difficilia existere. Porro,  
 fricta in sartagine omnium pessima esse. Adhæc &  
 de vini generibus pariter, quod vinū alio præstan-  
 tius, quod magis nutriat, iuuentus confabulabitur.  
 Sic nullum nō vinum nutrire, sed rubicundum ma-  
 gis. Cæterum rubicundum vinum non boni succi  
 esse, dulce nutrire quidem, sed stomacho inimicum  
 existere. Acerbum, vt stomacho gratum sit, ita non  
 non facile trāsmitti, ac minus alere, & id multo mī-  
 nus, si albū existat. Sub hæc inter comedendū & il-  
 lud non absurdum erit, si iuuetus inter se colloqua-  
 tur, vbi Virgilius, vel Theocritū vel Homerum ver-  
 sibus suis expresserit. Cuiusmodi est illud (vt & hu-  
 ius rei gustū quēdā præbeā) apud Verg. in Eclogis,  
 Vt vidi vt perij, vt me malus abstulit error.

Quem versiculum ex Theocriti Idyllio appositissi-  
 me traduxit.

ὡς ἴδωμ, ὡς ἐμάκνημ, ὡς μὲν περὶ θυμὸς ἴαφθην.

Cuiusmodi est & ille versiculus Eclogæ 3,

Nec dum illis (de poculis verba faciēs) labra admo-  
 ui, sed condita seruo.

Quē ex Theocriti illo in Idyllio primo bellissime  
 deriuauit.

ἔυθει πῶ ποτὶ χεῖλος ἐμὸν θίγην ἄλλ' ἐπικῦρται.

Est apud Vergiliū in 2 AEncidos Periphraſis ve-  
 nientis noctis,

Vertitur interea cœlum, & ruit Oceano nox,

I V V E N T. I N S T I T.

Inuolucens vmbra magna terrámque polúmque.

Hanc Periphrasim ex libro Iliad. Homeri θ, trástitulit. versus Homeri sunt,

ἐνδ' ἔπεισ' ὤκειαν ᾧ λαμπερὸν φάος ἠελίοιο  
ἔλκορ νύκτα μάλαιναρ ἐπὶ ἔσδωρον ἄρουραρ.

Et quod penè oblitus erā, inter comedēdum de sacris quoque litteris iuuenes conferent, & in memoriā reuocabūt, ea quæ ab eruditis cōcionatorib. audiverunt. Conferent inter se locos quosdā Pauli, qui prima fronte pugnare videntur. Pluribus moneo, qualibus sermonibus iuuentus inter edendum vtatur, idque hoc nomine quòd exploratum habeā, quātm̄ frivolis, quātm̄ obscuris sermonibus omnia prandia, omnes cœnæ, omnes comessationes iuuenum perstrepant. Quotus enim quisque vel Latine loquitur? quotus quisque inter prandium, inter cœnam vel veibulo, rerum, quarum modo mentionem inieci, meminit? Optimus fetè conuictor est, qui quātm̄ spurcissima euomat. Bellus conuiuia est, qui non nisi Bacchum, Venerem, & nescio quæ alia μὴ καὶ ἴκοντα, vt Pauli verbis vtar, effutit. Cæterum cum Dominus de quolibet verbo otioso à nobis rationem exacturus sit Matth. 12, curabit iuuenis, vt sermonis rationē habeat, & nihil dicat, nisi quod, vt Paulus inquit, πρὸς τὴν δικαιοσύνην proximi redundet. Neque verò inter comedendū tantū, ne os sermonibus lapsabundis & vanis scateat, cauēdū est, sed vbivbi erit iuuenis, ne quid pestilēs, ne quid spurcū euomat, prospexerit. Sic enim Paulus ad Coloss. inquit, Sermo vester semper cum gra



tia sit sale cōditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere. Porro, vt hoc obiter indicē, sermonem sale cōditum, Paulus vocat sermonē nō insulsum, ineptum, spurcum, sermonem qui erudiat rudem, consoletur pusillanimē, erigat lapsum. Et haec tenus quidem de sermone iuuenibus digno, vltra modum, vel potius intra modum diximus.

## D E A N I M I C U R A

## ἐπιτροπή.

Cum, quæ cura corporis, iuuentuti suscipienda sit, quàm fieri potuit paucissimis, à nobis dictum sit, paucula quoque de animi cultu, vt & paulo antè recepimus, iuuenes admonebimus. Primū omnium curet iuuenis, vt animum diuinæ particulam auræ, vt Horatius inquit, clarū virtutibus politicis reddat: cuiusmodi sunt, sapientia, prudentia, pietate, iustitia, liberalitate, temperantia, modestia, & si quæ aliæ virtutes politicæ existant. Deinde, si ad bonas literas discēdas traditus est, à Deo Opt. Max. prosperum in literis successum petat. Siquidem, vt litteræ bonæ, Dei dona sunt, 1. ad Corin. 12: ita quoque illo fortunante in illis progressum facimus. Sic enim, inquit Salomon, Deus ex ore suo sapientiam, scientiam & intelligentiam largitur, rectis dat successum. Tum vbi iuuenis literis operam nauare coeperit, vrgeat institutum, non secus vocationi, vt Pauli verbo vtar, atque Poeta scenæ seruiat, animū inducens, credere tam Deo exosum esse, si præceptorum ad humanitatem informandus creditus, non

#### I V V E N T . I N S T I T .

officium suum faciat, quàm in re alia quapiam: nõ quod & se dignum sit & Deus velit, præter . Vult enim Deus, vt quisque vocationi suæ pro sua virili faciat satis. Iam si ad animi cultum capiendũ Dei Opt. Max. benignitate vocatus es, tuũ erit officium vocationi tuæ, quantum in te est, respondere. Id quod vtinam plerique iuuenes hoc nostro seculo, & scirent & secum reputarent: haud dubie non tam segnem operam in literas collocarent. At verò cum Deum in illorum segnitiam non animaduersurum credant, mirum est quàm frigide literarum studia excolant. Præterea, hic omnem quod aiunt, rudentem moueat iuuenis, vt literarum sacrarum panoplia, animum suum aduersus diaboli, mundi, carnis, capitales iuuentutis hostes, aduersus omnia vitiorum genera propulsanda munitum & instructum habeat. Nulla enim est tam valida tentatio, quin eam sacræ literæ retundat ac frangat . Et vt pauca exempla docendi gratia proferam,

#### DIABOLO RESISTENDVM ESSE.

Docet Petrus in Epistola priore capite primo, Sobrii estote, vigilate, quoniam aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret, Cui resistite, solidi fide. Iacobi quarto, Resistite diabolo, & fugiet à vobis. . .

#### NON ANIMVM DESPONDENDVM IN ADVERFIS.

Docet CHRISTVS Iohannis decimo quarto,

Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Et Iohannis decimosexto, Vos autem mœrorum adficiamini, sed mœrorum vester vertetur in gaudium &c.

NON CARNIS LIBIDINIBUS  
obtemperandum.

Ad Romanos 13, Carnis curam ne agatis ad concupiscentiam &c.

NON MUNDI ILLECEBRIS  
indulgendum.

Prima Iohannis secundo, Ne diligatis mundum, neque ea quæ in mundo sunt: si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo.

VITANDAM ESSE  
scortationem.

Prima ad Corinthios sexto, Fugite scortationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est &c.

EVGVIENDAM ESSE  
ebrietatem & crapulam.

Luca vigesimo, Cauete autem vobis, ne quando grauentur corda vestra crapula & ebrietate.

NON INSOLESCENDVM ESSE.

Prima ad Corinthios tertio, Quid autem habes quod non accepisti? quid gloriaris quasi non acceperis? Prima Petri quinto, Humilitatem animi vos

I V V E N T . I N S T I T .

bis infixam habete: propterea quòd Deus superbis  
resistit, humilibus autem dat gratiam.

I N A N E M G L O R I A M  
fugiendam.

Quinto ad Galatas, Ne efficiamini inanis gloriæ  
cupidi, inuicem vos prouocâtes, inuicem inuidêtes.

A CALVMNIA LIN-  
quam frenandam.

Leuitici nono, Non eris criminator & susurro in  
populis.

B E N E M E R E N D V M D E  
male merentibus.

Ad Romanos duodecimo, Si esurit inimicus, pa-  
sce illum: si sitit, da illi potum.

I R A M D O M A N D A M E S S E .

Ad Ephesios quarto, Irascimini, & non peccetis:  
sôl ne occidat super iram vestram &c.

S E R M O N E S S P U R C O S V I T A N D O S .

Omnis sermo spurcus ore vestro ne procedat, sed  
si quis est bonus ad ædificationem &c. ad Ephesios  
quarto.

Hæc paucula exempla, docendi gratia subiecisse,  
suffecerit: Aduersus aliâ vitia, alios scripturæ sanctæ  
locos inuenis conquirit. Et in primis illos locos in  
promptu habeat, qui consciëntiam consolêtur. Cu-

iusmodi est ille Iohan. 2. Sic deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et ille apud Matthæum primo capite, Et vocabis nomen eius IESVM, is enim saluum faciet populū suum à peccatis suis. Teneat & iuuenis locos, qui ad charitatem proximi nos vocant: vt est ille Iohānis vndecimo, Præceptum nouum do vobis, vt diligatis vos inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicē. Sed quid multa, hæc de instituendis iuxta ac corrigēdis moribus iuuetutis, impræsentiarū dicta à me sint: qui plura scribere, hac de re volet, scribat, per me licet, excipiat lampada cursu, nobis sat est, vt cunque viam quandam & componendi, & corrigendi mores iuuenibus aperuisse.

EXCVDEBAT ROBERTVS STEPHANVS  
ANN. M. D. XXIX. VIII. IDVS  
OCTOB.





